16

DIE XXVII. APRILIS.

IN FESTO S. THURIBII EPISC. ET CONFESS.

SEMIDUPLEX.

Omnia de Com. Conf. Pont. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

ECclesiam tuam, Domine, B. Thuribii Confessoris tui, atque Pontificis continua protectione custodi: ut sicut illum Bastoralis solicitudo gloriosum reddidit, ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes. Per Dñm.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

THuribius Alphonsus ex nobili Mogroveja gente Majorgæ in Regno Legionis natus, liberalibus disciplinis, & Juri Canonico Vallisoleti primùm, deinde Salmanticæ in majori Collegio Ovetensi Sancti Salvatoris, ita opera dedit, ut tamen potiorem temporis partem orationi, aliisque piis, & Christianis exercitiis impenderet. Id comprobatum est, cùm immissam in ejus cubiculum impudicam mulierem, præcipuus virginitatis sectator constanti animo ex Templo expulit: inde jejunii, vigiliis, & proprii corporis castigatione continuò vitam exercuit, & nudis quoque pedibus Compostellam ad Sancti Jacobi sepulchrum peregrinatus est.

Lectio v.

A Gregorio Decimotertio Limanæ Ecclesiæ ex Quæstore fidei invitus præficitur; quo in munere Apostolicam solicitudinem in nova Christianitate,

ſtianitate, vel ſolidanda, vel amplianda adhibens, perfecti Præſulis partes explevit. Quare ſingulis Dominicis diebus, vel in Eccleſia, vel in Hoſpitali domo in parvis etiam Oppidulis, & ſub diu concionabatur, plebemque Cathechiſmo inſtruebat. Synodos etiam Diœceſanas, & Provincialia Concilia juxta Tridẽtini Statuta habuit, & in eis complura decreta, poſtea à Sede Apoſtolica confirmata, condita ſunt, quibus modò Eccleſia Americana regitur. Hinc morum emendatio, Cleri diſciplina, juvenum Seminaria, virginum, ac malè nuptarum Cœnobia, ægrotorum Xenodochia, aliæque ædes, & Templa ejus etiam ſumptu conſtructa, emanarunt.

Lectio vi.

Diœceſim ſuam, ampliſsimam quidem, incredibili labore totam ſæpe viſitavit, omneſque penè Eccleſiæ ſuæ proventus in pauperum uſus, quos creditores ſuos vocabat, erogavit, octingentis, ut ferunt, hominum millibus ſacro Chriſmate unctis: innumeras contradictiones, ſive ab iis, qui foris ſunt, propter fidem, ſive ab iis, qui intra, propter Eccleſiæ libertatem, ſumma patientia ſuſtinens, acriter defendit, Martyrii cupidiſsimus. Tandem Sacerdotio, & Miraculis clarus, quæ etiam poſt mortem ipſius ſanctitatem comprobarunt, dum propriæ Diœceſis viſitationi incumberet, anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto, ætatis ſuæ ſexageſimo octavo, ſumpto in Eccleſia Sacro Viatico, ad mortis nuncium exclamans: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus, die vigeſima tertia Martii obdormivit in Domino; quem Innocentius Vndecimus in Beatorum numerum retulit, aſsignata ejus feſtivitati die vigeſima ſeptima Aprilis. Deinde nobis quàm pluribus fulgentem ſignis, Benedictus Decimus tertius Pontifex Maximus

ximus quarto Idus Decembris anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo sexto Sanctorum fastis adscripsit.

IN III. NOCTURNO.
Lectio S. Evangelii secundùm Matthæum.

IN illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Serm. 23. in Cant.

ACcipiunt in promissione, qui bene præsunt, constituit super omnia bona Domini sui: at pauci profectò, qui utiliter, pauciones qui & humiliter præsint. Facilè tamen utrumque amdimplet, qui matrem virtutum discretionem perfectè adeptus, vino nihilominus charitatis usque ad contemptum propriæ gloriæ, usque ad sui ipsius oblivionem, & non ad quærenda, quæ sua sunt, debriatur, quod solo, ac miro Spiritus Sancti magisterio obtinetur.

Lectio viii.

VIrtus autem discretionis absque charitatis fervore jacet, & fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipiat. Ideoque laudabilis, cui neutrum deest, quatenus & fervor discretionem erigat, & discretio fervorem regat. Ergo taliter oportet esse moratum eum, qui præest. Optimum autem in moribus dixerim, & summam disciplinæ hujus perfectè apprehendisse, qui in nullo prorsus, aut resistat prioribus, aut invideat paribus, aut subjectis, vel desit in cura, vel in superbia præsit, Prælatis obediens, sociis congruens, subditis utiliter condescendens.

præcipitat.

Lectio ix.

TImeant Clerici, timeam Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, & stipendiis, quæ sufficere debent,

bent, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impiè, sacrilegèque sibi retineant, & in usus suæ superbiæ, atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur; duplici profectò iniquitate peccantes, quod, & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur.

Te Deum laudamus.

HISPANIARUM.

AD pias, enixasque Serenissimi Regis Catholici preces SSmo. D.N. Benedicto PP. XIII. per litteras particulares directas, ac per R.P.D. Gregorium Molleda Episcop. Isaurien. Sanctitati suæ exhibitas, quibus pro extensione Officii proprii, & Missæ S. Thuribii Archiep. Limani ad universa Hispaniarum Regna, ac Dominia supplicatum fuit, Sanctitas sua hujusmodi instantiæ benignè annuendo, petitum Officium S. Thuribii sub ritu semidup. singulis annis die 27. Aprilis, servatis tamen Rubricis Breviarii, & Missalis Romani ab omnibus Sæcularibus, & Regularibus utriusque sexus, qui ad horas Caninicas tenentur, in dictis Regnis, ac Dominiis eidem Serenissimo Regi Catholico subjectis recitari, & Missam respectivè celebrari posse concessit. Die 5. mensis Julii 1727.

N. Cardinalis Cossia Præf.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Archiepiscopus Apamenus, Sac. Rit. Congreg. Secret.